



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Verna - A Dominica Septuagesimæ, ad Dominicam SS. Trinitatis

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Dominica 3. Quadragesimæ. De Christo ejiciente dæmonium. Post multas
ad unamquamque partem Evangelii productas veritates, hæc ad verba
Christi, Qui non est mecum, contra me est, fusiùs declaratur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44214

DOMINICA III.

QUADRAGESIMÆ.

DE CHRISTO EIICIENTE DÆMONIVM, &c.

VERITATES PRACTICÆ.

ERAT Iesus eiiciens Dæmonium, & illud erat mutum. Luc. II.

Obedientia Dæmonum nostræ est condempnatio Inobedientiæ.

In 3. parte, Feria 4. hebdomada 9.

In Beelzebuth Principe Dæmoniorum eiicit Dæmonia.

Qui sibi Innocenti factam injuriam nimis dolet, suæ ipse innocentie injuriam facit.

In hac 2. parte, Feria 2. hebdom. 4. Quadragesima. Vide & in 1. parte, die 16. Januarii, ubi de injuriis non modo non inferendis, sed illatis suffren dis.

Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, &c.

Beati mites. Beati pacifici. Beati qui perfectionem patiuntur. Beati cum maledixerint vobis.

In 3. parte, in 4. hebdomada.

Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet.

Multorum est Conscientia cauteriata & perversa, nisi se sinant dirigi.

In 1. parte, Feria 5. hebdomada 3. ubi etiam de cauterio dicitur, de mala pace, & falsa quadam securitate Conscientia, quam procurat Dæmon in animis, quos possidet, intelligendū demonstratur.

Si autem fortior illo superveniens vicerit eū, &c. Qua facilitate vincimur, eadem vincere possumus.

In 3. parte, Feria 5. hebdomada 7. Vbi de his Christi Domini verbis, & de nostris per ipsum contra omnes Adversarios fortitudine.

Qui non est mecum, contra me est.

VERITATEM PRACTICAM.

VERBA illa continent valde stupendam & fructuosam, quæ cum nullibi declaretur, hic est modò apertius exponenda.

Quod difficillimè crederes, te contra Christum esse, hoc est facillimum creditu, si Christo credis.

RATIO est, quia ex Christi Domini verbis, facillimum creditu est, te contra Christum esse, si cum Christo non sis.

Sed est etiam facillimum creditu, te cum Christo non esse.

Ergo & aquè patet te contra ipsum esse: Quod tam difficillimè crederes, adeo res est stupenda & expendenda.

I. PUNCTUM.



QUOD Christus Dominus, ejecto ab humano corpore Dæmonio, diceret se tam facile ex animis hominum ejecturum hunc hostem, hoc dicebat sensu; dum scilicet

vellent homines secum conspirare & concertare contra eundem Adversarium; Nam si alioquin contra non pugnant cum ipso, nihil illis magis prodesset, quàm si ipse non certaret & vinceret, cum ipsi fugatum hostem revocarent & se illi adjungerent. Quod ut apertius illis exponeret: Qui non est mecum, inquit, contra me est. Qui non pugnat mecum contra hunc communem

sem hostem, contra me pro illo pugnat. Qui non est mecum in hac pugna, contra me est. Non est autem ille mecum, qui vitæ operibus non contentus; qui non colligit omnes animæ suæ vires & facultates, ut se doctrinæ meæ conformet, dispergit & dissipat, quidquid loquitur & operatur: cumque nihil agat ex his, quæ doctrinæ & vitæ meæ profiteor: hoc ipso, quo non vitæ meæ consentit, dissentit, & quo non est mecum, contra me est.

O quanta cæcitas hominum, qui cum possint cum Christo Dæmonem expugnare, malunt cum Dæmone pugnare contra Christum! O quam multi tales non modo Judæi & Ethnici sed & ipsi Christiani! Tene ex his unum crederes, qui contra Christum pugnent pro Dæmone? *Difficillimè omnino crederes, & tamen hoc est tam facile creditum, quàm Christo Domino credes.* Audi & obstupesce.

Cum enim Christus Dominus apertè dixerit, *Qui non est mecum, contra me est:* Nonne ex his verbis, quibus te credere profiteris, certissimum atque evidentissimum erit te contra Christum esse, si cum Christo non sis? Nā quod univèrsim dictum est de omnibus, tam certum est particulatim de te dici, quàm verum est, te unum esse ex illis omnibus. Neque aliter te condemnandum putares, si non esses baptisatus, nec crederes, quam quia univèrsim dictum est, *qui crediderit & baptisatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Cur non igitur æquè tibi aut de te dictum crederes, quod ipse dixit, qui non est mecum, contra me est? An id putas verum de aliquo, qui cum Christo non sit? cur id verò non esset de te verum, si tam verè non sis cum Christo, quam ille alius, de quo dici fateris? Responde, & fateri aut de nullo id esse verum, & te Christo id affirmanti non credere; aut si ipsi credis, id æquè de te verum, si cum Christo non es, quam de ullo mortalium.

Credis Rex Agrippa Prophetis? aiebat Regi Paulus: scio quia credis. Quasi diceret, Cum Propheta de futuris tanquam de præsentibus pronuntiant, nonne credis tam vera esse, quæ de uno tempore vel de una persona dixerunt, atque de aliis? Sic Sapiens, Fides in sacculum stabit: Id est, in hoc est vera fides, ut quod univèrsim dictum est de omnibus sive personis sive temporibus, sic de singulis particulatim intelligatur & credatur.

II. PUNCTUM.

SED est etiam evidenti simum & facillimum creditum te cum Christo non esse.

Quid est enim evidentiùs te cum Christo non esse, si iudicio, si voluntate seu affectu, si vitæ & moribus ab illo dissentis? nam si, ut ait sanctus Ioannes, *qui dicit se in ipso manere, de-beret sic ille ambulare: & ipse ambulare, profectò qui iudicio & affectu, qui vitæ & moribus ab illo dissentit, non potest dici ambulare sicut ille ambulavit, nec proinde cum ipso manere nec esse. Nunquid ambularent duo pariter, nisi convenerit eis,* inquit Propheta?

Lam verò, quod non minus sit evidens, te sic ab illo dissentire, ut dictum est, Vide quid dixerit, & revolve sacras Evangeliorum paginas à primo sermone ad ultimū. Audi quid loquatur, *Beati pauperes, Beati qui nunc esuritis; Beati qui nunc fletis; Beati cum vos oderint homines, Va vobis divitibus, Va vobis qui ridetis nunc. Va cum benedixerint vobis homines. Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: benedicite maledicentibus vobis; & urate pro calumniantibus vos; & qui te percussit in maxillam, præbe & alteram, & ad eo, qui aufert tibi vestimentum; etiam tunicam noli prohibere: omni autem potenti te tribue; & qui aufert, quæ tua sunt, ne repetas.*

Hoc est Christi de rebus iudicium, hi sunt ejus affectus, hæc tota in tenis peracta est vitæ, hi Christi & Christiani mores: unde hæc sunt egregia S. Augustini verba: *Satellites voluptatum divitias perniciosè populi appetebant, pauper esse voluit. Honoribus & imperiis inhæbant, Rex fieri noluit. Carnalibus sibi magnum bonum putabant; tale conjugium prolemque contempsit. Centumclias superbiissime habebant, omne genus contumeliarum sustinuit. Injurias intolerabiles esse arbitrabantur, quæ major injuria quàm justum innocentemque damnari? Dolores corporis exorabantur; flagellatus atque cruciatus est. Mori metuebant, morte multatus est. Ignobilissimum mortis genus crucem putabant, crucifixus est. Omnia, quæ habere cupientes non velle vivebamur, carendo vitia serit. Omnia, quæ vitare cupientes, à studio deviamur: veritatis persequendo de se. Non enim ullum peccatum committi potest nisi dum appetuntur ea, quæ illo contempsit, aut fugiuntur ea, quæ ille sustinuit. Tota itaque una vita eius in terris*

per hominem, quem suscipere dignatus est disciplina morum fuit.

Itane verò de rebus iudicas? Itane his afficeris? Itane vivis & mores componis? An potius nonne aliter prorsus iudicas, prorsus afficeris, & aliter planè vivis? Quis sensus de paupertate & divitiis? de honore & contumelia? de bonis & malis hujus vitæ? utra eligeres si horum daretur optio? nonne id facillimum creditu, quod non mala eligeres sicut ille, ac proinde quid evidentius, quam te cum illo non esse, a quo ita dissentis iudicio & affectu? *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius.*

Gal. 5.

Rom. 8.

III. PUNCTUM.

QVOD ergo difficillimè crederes, te contra Christum esse; hoc est facillimum creditu, si Christo credis: Nam Christo affirmante, qui non est mecum, contra me est, quid sequitur, si hoc credis, nisi quod tam certum & evidens erit te Christum esse quàm clarè patebit te cum ipso non esse. Quàm verò id clarè pateat, te ipsum inspicere, vide quantum à Christo dissentias: nam hoc est cum Christo non esse, sic ab eo discrepare & dissentire, sicut apparet in dictis & factis tuis per totum vitæ discursum. Nec aliter mundo Christus est contrarius, quam propter hanc morum & vitæ dissimilitudinem. Sic illi Mundani proficiuntur, qui apud Sapientem clamant: *Contrarius est operibus nostris, dissimilis est aliis vita illius. Quod & ipse Dominus satis apertè ianuit dicens: Mundus me odit, quoniam testimonium, perhibeo de illo, quod opera eius mala sunt. Quam obrem sicut dicitur non potes te cum Chri-*

Sap. 2.

JOHN. 7.

sto non convenire nec esse; sic planè fateri necesse est te contra ipsum esse.

Itane verò tu contra Christum? durus quidem sermo, sed fortior veritas, quæ à sermone non potest detrahi, quam diu sic vivas tam parum Christo similis. Sed quod horrendum magis est, sic contra Christum vivis, quia sic à Dæmone persuaderis vivere! sic te ab illo revocat per hanc vitæ dissimilitudinem, & in suas trahit partes, ut unà simul contra Christum pugnetis. O rem execrandam? te Christus ad se vocat contra Dæmonem pugnatu- rum: tu à Dæmone revocatus contra Christum pro illo pugnas, expende hoc & audi S. Cyprianum, imò & Dæmonem, quem S. ille Doctor inducit sic propterea Christo conviantem, quod te tuique similes suos fecerit. *Ego pro istis, quos mecum vides, nec alapas accepi nec flagella: nec quicquam magni do, sed falsa pollicitatione deludo. Et potius ipsi mihi omnia sua tradunt. Tuos tales munerarios Christe demonstra preceptis tuis monitos; Et quæ plura pergit, sed hæc sufficient ad Veritatem confirmandam, & talem inde horrorem animi concitandum, Unde ad conciliandam cum Christo vitæ confessionem magis ac magis exardeas. Sequar te quocumque ieris.*

Lib. de Elem. & bono op.

Math. 2.

Et verò cavendus lapsus & recidivum, ne quod ex dictis Domini superest in hodierno Evangelio, tibi contingat: *Et sunt novissima hominis illius peiora prioribus. Qua de sententia, proponitur hæc Veritas:*

Melius erat viâ Justitiæ non introisse, quàm retroisse.

In hac 2. parte, Feria 5. hebdomada 4. post Pascha.

HAC HEBDOMADE, Considerantur quæcunque gesta sunt per totam noctem apud Pontifices, usque ad matutinum diei sequentis, quo Christus ad Pilatum est adductus; ibi adnotantur aliquod inordinati motus cordis & linguæ, qui frequentius ex iniuriis concitantur, quas ab inimicis accipimus, & qui exemplo Christi Domini corriguntur.

FERIA

FERIA SECUNDA.

CHRISTVS ALAPAM INFLI- genti mira mansuetudine loquitur.

Vnus assistens ministrorum dedit Alapam IESV dicens, sic respondes Pontifici? Respondit ei IESVS si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo, si autem bene, quid me cadis? Ioan. 18.

VERITAS PRACTICA.

Quantum fas est in ira loqui, tantum ex ira nefas.

RATIO EST, quia idcirco fas est in ira loqui, ut Mansuetudo & Charitas conserventur.

Sed si ex ira loquereris, Mansuetudo & Charitas potius destruerentur, quod est nefas, quam conservarentur.

Ergo quantum fas est in ira loqui, tantum ex ira nefas, & cavendum.

II. PUNCTUM.

QUO magis progredimur in patientis Christi mysteriis, eo minus verborum & humani discursus videtur adhibendum, ut enim ex le tam ubera & copiosa sive ad intellectum illustrandum, sive ad voluntatem inflammandam, ut loqui representatione rei gesta sit opus. Sic ergo habet sacer Evangelista: Cohors autem & tribunus & ministri Iudaorum comprehenderunt Iesum, & ligaverunt eum, & adduxerunt eum ad Annam primum. Et paulò post: Pontifex ergo interrogavit Iesum de discipulis suis, & de doctrina eius. O quæ doctrina! ô quam rari discipuli! quid tentes de utrisque? Respondit ei Iesus: Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in Synagoga & in templo, quò omnes Iudæi conveniunt, & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt, quid locutus sum tibi, ecce hi sciunt, quæ dixi ego.

QVID ista responsione veritas, mansuetudo, tuisit sanctus Augustinus. Et tamen ô prodigium audaciæ! Hac autem cum dixisset: Vnus assistens ministrorum dedit alapam Iesu di-

cens, sic respondes Pontifici? Hic siste anime, & hæc impius sancti Augustini verba expendere, Quid non potuisset per potentiam iubere, per quam factus est mundus, nisi nos docere mali: sset patientiam, quæ vincitur mundus? Tum vero respondit Iesus: si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cadis?

Tres possunt cogitari rationes, cur hic responderit, qui alias ira siluit ut omnes mirarentur. Prima est, ut diluat calumniam sibi factam de contempto Pontifice. Secunda, ut injustè percutientem moneat, & ad respiciendam excitet. Tertia, ut nos doceat aliud esse in ira, seu in injuriis acceptis aliquid loqui; & aliud ex ira loqui. Quantum enim fas est in ira loqui, tantum ex ira nefas. Quod ut accuratius & ad praxim utilius expendatur, Ratio hæc ad exemplum Christi Domini adjungitur; Quod idcirco præcipue fas est in ira loqui, ut Mansuetudo & Charitas conserventur: Mansuetudo quidem in eo, qui injuriam accipit, & Charitas erga eum, qui eam infert aut etiã ad aliorum edificacionem, qui præsentem interfuit. Ad hoc autem moderata confert loquela, quatenus sic temperatè loquendo animus distrahitur à cogitatione iniuriæ & vindictæ, quæ interdum silendo acuitur & inflammatur. Sic peius siluit Absalon contra fratrem suum Ammon, quam si quid fortè locutus esset: nam ex mutuo colloquio se fraternæ poterant mitigare corda, quæ ex silentio magis exasperata sunt; quod aperte Scriptura indicans; Porro, inquit, non est locutus Absalon ad Ammon, nec malum nec bonum: oderat enim Absalon Ammon. Nempe vel ex odio siluit, vel ex silentio magis odit, quod utrumque perverfi silentii aperta est nota.

Quod itaq; dicit Sapiens; Responsio mollis frægit Ibid. 25.

git tram; Et rursum, lingua mollis confringet duritiam, tam ve è accipi potest de ipso qui loquitur, quam de aliis qui audiunt, nam sicut ex animo lingua, sic ex lingua formatur animus: si lingua mollis fuerit, emollescet loquentis animus; si lingua dura, tum animus etiam induratur. Ad conservandam denique cum aliis Caritatem nemini dubium est

Ecclesi. 8. quod alius ait Sapiens: *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos: & lingua Eucharis in bono homine abundat.* Quamobrem hæc virtutes, cum loquendo potius quam silendo demonstrantur, sic in ira loquitas est, ut demonstrantur ad ædificationem proximi, & in animis dissidentium conserventur. Si tēpus tacendi est, est etiam tempus loquēdi; Tu forte neutrum observas, adverte.

II. PUNCTUM.

SED si ex ira loqueris, mansuetudo & Caritas potius destruerentur, quod est nefas, quam conservarentur.

Hoc est enim utriusque discrimen loquelæ, ut qui in ira loquitur, sentiat quidem effervescētis motum sanguinis, sed rationi subiectum, unde nihil inordinatè agit nec loquitur, qualis ira in quovis homine atque in ipso etiam Christo Domino esse potuit, ut expresse docet sanctus Thomas. Sed qui ex ira loquitur, iræ servit potius quam dominetur, nō solum sentit iræ motum, sed dominatum & imperium, quo statim turbatur ratio, & ratione turbata, sermones effunduntur incōditi & turbulenti, quibus illæ virtutes illico ruunt & destruantur. *Ira non habet misericordiam*, inquit **Prov. 17.** *Sapiens, nec erumpens furor; & impetum concitati ferre quis poterit: Quam sit autem hoc nefas, audi & contremisce: Ira & furor, utraque execrabilia sunt. & vir peccator continens erit illorum; Id est, qui peccatum non reformidat, erit illis obnoxius vitiis, quæ metu læsi*

3. p. 9. 15.
8. 9.

Prov. 17.

Eccle. 27.

numinis & offensæ conscientiæ, coercentur. Vide infra in hac parte, Feria 3. hebdomadæ 3. post Pascha: unde quæcunque hic & in sequentibus de ira dicuntur, inultum illustrari possunt.

III. PUNCTUM.

QUANTUM ergo fas est in ira loqui, tantum ex ira nefas: Quia, quæ virtutes ex uno conservantur, destruantur ex alio, sicut ait Sapiens: *Vir iracundus provocat rixas: qui patiens est mitigat suscitatas.* **Prov. 15.**

Hæc est doctrina, de qua interrogatus est Dominus, hi sunt eius discipuli, qui, quod dixit & fecit, profitentur; *Dicite a me, quia mitis sum, & humilis corde; MITES quippe sunt, inquit sanctus Augustinus, qui cedunt improbitatibus, & non resistunt malo, sed vincunt in bono malo; Quod dicitur sanctus Petrus, Misericordes, modesti, humiles, non reddentes malū pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes, quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hereditate possideatis.* **1. Pet. 2.**

Neque excuses naturam ad irascendū pronam, esto enim, inquit **S. Ambrosius**, ut sit natura irasci, aut plerumque causa: *hominis est tamen temperare iracundiam, non lenino raptari furore, non assuiscere clamori, non erere nec accerbare familiare surgium, scriptum est enim, vir iracundus effudit peccatum.* **1. Ep. 11**

Quod si tibi forte delinquentes corrigendi sunt, cave, plus illis delinquant irascendo. *Ira quippe, ait sanctus Gregorius, cum etiam delinquentiū culpas exequitur, non debet menti quasi Domina præire, sed post rationis tergum veluti ancilla famulari, ut ad se in iussa veniat, nam si semel mentem possideris ceperit, iustum esse deputat, etiam quod crudeliter facit. O quæ mentis ferocia, sic te crudellem esse! O quæ mentis fallacia, sic te iustum reputare! Memento timorem Domini, & non irascaris proximo.* **Ecclesi. 8.**

PRO EADEM FERIA QUADRAGESIMALI.

Ad Evangelium de prima Christi Domini prædicatione, in Civitate Nazareth habita, & à Civibus malè accepta.

TOTA eius narratio & conformis Veritas habetur suo loco declarata in 1. parte, Feria 2. hebdomadæ 2. post Epiphaniam. Quæ ve id inde plures aliæ produci possent, referuntur ad

Iram, ad Invidiam, & ad neglectum Dei sermonem, de quibus argumentis sat multa sunt obvia, vel in ipsis, quæ n. eod. decurruntur, Feriis.

FERIA

FERIA TERTIA.

CHRISTVS DOMINVS FALSO

Accusatus, nihil respondet.

Non respondes quidquam ad ea, quae tibi obiiciuntur ab his? Ille autem tacebat & nihil respondit. Marci 14.

VERITAS PRACTICA.

Qui loquendo vincit, silendo vincit.

RATIO EST, Quia vincendus vinces, si preme-
do ira impetum, à quo premereris, impediās
dammum impendens.

Sed silendo preme illum ira impetum, à quo pre-
mereris loquendo, sicque damnum impendens
impedis.

Ergo qui loquendo vinceretis, silendo vinces; ac
proinde silentium tibi est religiose colendum.

I. PUNCTUM.

Marci 14 **C**UM apud Caypham Principem Sacer-
dotum, Scribae & Seniores omnes con-
venissent, eò ligatum Jesum misit An-
nas, ut de morte eius, communi consilio de-
finiretur. Tum verò, inquit Evangelista, sum-
mi Sacerdotes & omne consilium querebant ad-
versus Jesum testimonium, ut eum morti trade-
rent, nec inveniebant: multi autem testimonium
falsum dicebant adversus eum, & convenientia
testimonia non erant. Et quidam iurgantes fal-
sum testimonium ferebant adversus eum dicen-
tes, quoniam nos audivimus eum dicentem: ego
dissolvam hoc templum manufactum & post tri-
duum aliud non manufactum aedificabo. Et non
erat conveniens testimonium illorum. Et exur-
gens Summus Sacerdos in medium interrogavit
Jesum dicens: Non respondes quidquam ad ea,
quae tibi obiiciuntur ab his? Ille autem tacebat &
nihil respondit.

Expende hic primò, quanta Judæorum in
Christum malevolentia, ut cum nihil nisi san-
ctum in eo esset, conquirant undiq; falsa te-
stimonia, quibus eum accusent. Deinde verò
considera, ut est natura hominum sui fallax &
deceptor! Non timent Judæi de morte Jesu
Haynersve Pars 2.

deliberare, & tamen nolunt sine prætextu ali-
quo; quasi minus nocentes sint, si ex falso præ-
textu occidant quam si nullo. An nonne nos
sic sæpe vitis nostris causas prætextimus, ut
minus mundo & nobis appareant? Sed nun-
quid Deum celabis? Vos estis, inquit Christus,
qui iustificatis vos coram hominibus; Deus
autem non i corda vestra, quia quæd hominibus
alium est, abominatio est ante Deum. Cum autem
sæpe culpatum & prætextum i acundia; quas
sola libertate committimus, causas rej-
ciamus in naturam ipsam humanam, in officia quæ
gerimus, in varias rerum occurrentium sortes,
& quoslibet contingentes casus, qui non nisi
Deo volente aut permittente obveniunt, quid
hoc aliud est, quam falsa quædam testimonia
contra Dominum querere, quibus nos excu-
semus, & ipsum quodammodo accusemus?
Unde & queritur: Numquid irritum facies iu-
dicium meum, & condēnabis me ut tu iustificeris? Luc. 16.

Eò te videlicet aliquando iræ excitata im-
petus rapit, ut non modò aperte proximis ex-
candescamus, sed latenti quadam impietate,
ipsi Deo inascamur, tanquam auctori iniuriæ
vel pœnarum, quas patimur. Quare percu-
sus nos Dominus hodie? Tunc exemplo Christi si-
lendium; & quoties sic liberius Ira linguam
laxat, refrænda est religiosius: Sic enim qui
loquendo vinceretis, non loquendo vinces. Iob 40.

Quod ut apertius liqueat, non tam multa est
opus probatione quam attenda Veritatis con-
sideratione: Quid enim clarius, quam in ira-
cundiæ pugna Victorem illum esse, qui vel con-
citatam animi sedat impetum, aut ira cohibet,
ut nihil inde detrimenti, nihil inordinati pro-
cedat? Non te superet ira ut aliquem opprimas,
inquit Scriptura; hoc est scilicet superari, si
quid ab ira detrimenti contingat: ac proinde
hoc est superiorem & Victorem esse, si damnum
omne caveatur. O quæ dâna! quàm cavêda!

R II. PUN-

II. PUNCTUM.

SED silendo premit illum ira impetum, à quo premereris loquendo: sicque damnum impeditur, quod loquela importaret.

Cum enim agatur potissimum de illo naturæ impetu, quo iratus iræ causas prosequitur & impugnat, certè quemadmodum non nisi loquendo causas illas insectatur, sic planè si loqui desinat, desinet ab instituta prosecutione, quæ non aliter peragitur quàm loquendo, ut dictum est: ac proinde etiam cessabit ille naturæ impetus, qui ob id unum excitatus erat, ut injuriæ vel iracundiæ causas insectaretur. *Secundum ligna sylva sic ignis exardescit, inquit Sapiens, & secundum virtutem hominis sic iracundia illius erit; & secundum substantiam exaltabit iram suam: Quasi dicat, tantò magis aut minus iracundus commoveatur, quantum ex ira loquitur; tum verò minus ex ira loquitur, quantò minus iræ causas insectatur, sicque dū cessat loqui, cessat irasci.*

Pro. 26. Quod quidem alio Sapiens dicto aperte confirmatur; *Cum defecerint ligna, extinguetur ignis: & si surrone substracto, iurgia conquiescent.* Ligna enim iræ, sunt verba, sunt sulurri, inurmura, clamores & indignationes, quibus sublati, ira tollitur. Unde Apostolus: *Ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis, cum omni malitia, id est, simul omnè iræ malitiam tollis. O quale silentij bonum, quo uno tollitur omnis iræ malitia!*

Ep. 4.

III. PUNCTUM.

SIC igitur, qui loquendo vinceres, silendo vinces, Dum sic premit iræ impetum, à quo

premereris; & illud cavebis damnum, quod certè indè impenderet, nisi caveretur.

Vince amoveq; silentio malum, inquit sanctus Basilius, & cogita de te periculum fieri, an Deo per patientiam adhareas, seu per iram in adversarii partes inclines. *Audi David dicentem, Ps. 38. dum consisteret peccator adversum me, non irritatus sum aut ultus, sed surdus factus, & humiliatus sum, & silui à bonis.* Hinc illud scitè dictum à Sapiente; *si sufflaveris in scintillam, quasi ignis exardebit; & si expueris super illam, extinguetur: utraque ex ore proficiscuntur.* Tum nempe sufflatur in scintillam, cum quis ex ira loquitur & iræ suæ causas profert: supra scintillam verò expuit, cum vel contemnantur iniuriæ seu quævis alia irascendi incitativa; vel si animum commovere incipiunt, statim silentio reprimuntur. Hæc autem utraque, nempe loqui vel silere, ex ore proficiscuntur, id est à nobis pendent, non sic, in vitis & nolentibus nobis producentur, sicut primi motus naturalium appetitionum animi; quamobrem major est nostra culpa, si non silemus, quàm si non irascimur, quia illud magis est in nostra potestate cum Dei gratia, quæ id etiam à nobis exigit. *VIDE UT SILEAS.* Hoc primum Jf. 17. ad victoriam de hostibus reportandam Regi Achaz à Domino commendatur. Vide in 3. p. Dominicam 5. Ubi hæc exhibetur Veritas:

Hoc ipso est ira iniustior, quod nulli unquam irascenti suæ ira videtur iniusta.

PRO EADEM FERIA QUADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de Correctione fraterna, & remittendis semper iniuriis.

VERITATES PRÆCTICÆ.

Si quis corripit noluerit, hoc ipso magis est corripicendus.

In 4. parte, Feria 4. hebdom. 16. Vbi de hoc expressè præcepto Domini: potest quis Veritas convenire Correctioni tam activa quàm passiva. Id est, ut a què detur & acceptetur.

QUIA verò qui corripitur, timet se contemni, tum suggerenda hæc Veritas:

Aut amandus tui contemptus & te contemnenti congaudendum: aut non amanda Charitas, quæ congaudet Veritati.

In hæc 2. p. Feria 6. hebdomada 3. post Pascha. ATQUE ut modus servetur in corripiendo, neque qui corripit inferiorem, audacius agat,

gat, opportuna occurrit, quod ex crastina profertur Feria: **QUI AUDACIUS, &c.**

Quod si quis timet, ne sine sua etiam culpa, infensum sibi reddat quem corripit: tunc Optabilis bonum bellum, quam mala pax.
In 3. parte, Sabbato hebdomadae decima.

ETIAMSI aliquando non speretur fructus, tamen tentandum.

Opportune importune.

Sabbato hebdomadae undecima.

Pro remittendis semper injuriis.

Si semel sunt condonandae iniuriae, sunt semper condonandae.

Vel nullas unquam recte voles condonare, vel semper omnes condonare voles.

In 4. parte, Feria 5. hebdomadae 16.

Quidquid proferes ne parcas aliis, contra te proferes, ne parcat tibi Deus.

In eadem 4. parte, Dominica 21. Vbi & alia his conformia.

Sicut pauci dimittunt suis debitoribus, ita & paucis sua dimittuntur debita.

In 3. parte, Feria 6. hebdomadae 6.

FERIA QUARTA. CHRISTVS ADIVRATVS A

Caypha profitetur se filium Dei.

Et princeps sacerdotum ait illi: adiuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei; dixit illi Iesus, tu dixisti. Matth. 26.

VERITAS PRACTICA.

Qui audacius loquitur inferiori, timidius Superiori loquetur.

RATIO EST. Quia qui audacius inferiori loquitur, nimis se timeri appetit.

Sed qui nimis timeri vult ab inferioribus, nimis & Superiorem timet, & timidius illi loquitur.

Ergo qui audacius loquitur inferiori, timidius Superiori loquetur. Quod licet in quibusdam casibus valere possit; in multis tamen damnosum est & cavendum.

I. PUNCTUM.

CUM ex falsis testimoniis contra Christum prolatis, nihil nisi falsum & inane concludi videret Cayphas ad eius condemnationem; excogitavit malitiose hanc viam eliciendae ab eo veritatis: *Adiuro te, inquit, per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei.* Poterat Christus Dominus non respondere, vel non nisi contempnim, & ut Supremus Iudex poterat spectare Cay-

pham tanquam inferiorem, & ipsum iudicare ut arrogantem & iniquum. Poterat vero etiam ipsummet considerare ut suum superiorem, & tanquam homo circumdatus infirmitatibus, poterat timidiorem se praebere, & vereri quod accidit, si se manifestaret prout jubebatur, ne inde Adversarii acciperent occasionem sui condemnandi.

Verum sive ob reverentiam Divini Nominis, quod interponebatur, sive ob Veritatis cultum, sive ut nos doceret neque audacius agere cum Inferioribus, neque timidius cum Superioribus, sic sapienter respondit, ut nec inferiorem contemneret, nec superiorem nimis timeret. *Tu dixisti, inquit, Veruntamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextera virtutis Dei, & venientem in nubibus caeli.* Quasi diceret, ita est ut dicis, sum Filius Dei, sed quia nihil modo videtis, quod sit conforme huic meae dignitati, videbitis aliquando, cum tempus accepero; Nunc est tempus meae abiectionis, tunc erit meae clarificationis, & quem modò iudicatis, iudicii vestri Iudicem futurum expectate. Quo in loquendi modo, vides quam modestus esset

R 2

& alie-

& alienus ab omni fastu, quàmque simul erectus & constans contra pusillanimitatem, & nimiam illam abjectionem, qua plerumque solemus timidus agere cum superioribus, & dissimulare veritatem, aut nimis serviliter, & abjectè cum illis procedere.

Sed neque arrogantius etiam, aut audacius cum inferioribus est agendum: nam ab uno extremo facilis est prolapsus in aliud.

Quamobrem ut in illo medio consistamus, quod à Christo Domino edocemur: hoc nobis certò persuadendum, *Quod qui audacius inferiori loquitur, hic timidus Superiori loquitur.* Eadem quippe est ratio utriusque, à superbia; quisquis enim audacius loquitur, affectat auctoritatem, præ se fert arrogantiam, & superbe nimis timeri vult. Unde Sapiens;

Eccles. 4.
Ezech. 34

1. Pet. 5:

Coloss. 3.
Ephes. 6.

Prov. 21.

Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, & opprimens subiectos tibi. *VE* pastoribus Israel, dicit Dominus Deus, qui cum austeritate imperabat is & cum potentia. *NEQUE* ut dominantes in clericis, sed forma facti gregis ex animo. *PATRES*, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant: *ET* vos Domini eadem facite illis, nempe servis, remittentes minas, quia illorum & vester Dominus est in caelis, & personarum acceptatio non est apud eum. Sic docebant Apostoli, sic imperabant. Qualem re in hoc genere præbes? qualem cum pauperibus, cum discipulis, cum servis cum implorantibus opem tuam? *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.*

II. PUNCTUM.

SED qui nimis timeri vult ab inferioribus, nimis etiam superiores s. met, & timidus illis loquitur.

Cum enim nimis timeri vult, dum est superior, nisi quia timet contemptum, timet ne si non timeretur, contemneretur: At verò dum est inferior, timor hic tantò magis crescit, quantò magis timere potest, ne à superiore contemnatur, si liberè & confidenter cum illo ageret; Contemnet forte intus superiorem, sed se extra cõtinebit, ne quid appareat, quod ab eo non improbetur, & à quo proinde magis contemneretur, minus extra quidquã audebit, ne animum suum patefaciat, aut suspicionem ullam moveat suæ superbiæ, quã se apud illum infamaret; sicque tandem accidit, ut

non nisi dissimulata vel servili timiditate agat, quod utrumque longè est damnosissimum & longissime distans ab ea filiali & fideli subiectione, quæ est reddenda superioribus.

Obediendum quidem Dominis carnalibus *Ephes. 6.* jubet Apostolus, in timore & tremore, sed qualis sit ille timor, explicat dum subiungit, in simplicitate cordis vestri sicut Christo, non ad oculum servientes quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo cum bona voluntate, servientes sicut Domino & non hominibus. Quod & ante brevius *Rom. 13.* & planius declarat; principes non sunt timori boni operis, sed mali: vis non timere potest, nisi bonum fac, & habebis laudem ex illa.

Sic conformiter sanctus Petrus, *subiecti 1. Pet. 1.* estote omni humana creatura propter Deum, sive Regi quasi præcellenti, sive Duobus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, quia sic est Voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam, quasi liberi & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei.

O viles alioquin eorum animas, qui se ab illa libertate, qua Christus nos liberavit, in miserandam abijciunt servitutem, & ancillæ *Gal. 4.* filii malunt esse quam libera.

III. PUNCTUM.

Hinc ergo fit, ut qui audacius loquitur inferiori, timidus etiam Superiori loquatur; Cum eadem ex radice superbia, tumor & timor nimis enascantur. Quod luculentè apparet in illo Nabal, qui juxta suum nomen stultus erat, *1. Reg. 25.* sic enim Scriptura de eo refert, quòd esset itardus, ut nemo posset ei loqui, tum verò in eam timiditatem dilapsus est, ut auditis periculis, in quæ inciderat contemnendo Davidem, *emortuum fuerit cor eius intrinsecus, & factus sit quasi lapis:* ac tandem paulo post obiit. Quamobrem rectè Sapiens, sic ab utroque extremo, per veram humilitatem & mansuetudinem nos revocat: *Congregationi pauperum affabilem te facito, & Presbytero humilia animam tuam, & Magnato humilia caput tuum: declina pauperi sine tristitia aurem tuam, & reddo debitum tuum, & responde illi pacifica mansuetudine.*

In vera itaque non ficta humilitate temperas.

peramentum utriusque extremi est positum, ipsa est enim, quæ nimiam in inferiores superiorum audaciam & fastum cohibet; Nam ut Rom. 3.4. ait optimè sanctus Gregorius, proponunt sibi in Evang. in animo ipsos plerumque, quos corrigunt: meliores a stimant eos quoque quos judicant, quod videlicet agentes, & per disciplinam subditos & per humilitatem custodiunt semetipsos. Idemque fuisse in illa verba Iob: si contempsi subire iudicium cum seruo meo & ancilla mea, cum disceptarem adversum me. Quid enim faciam cum surrexerit ad iudicandum Deus, & cum quaesierit quid respondebo illi? nunquid non in utero fecit me, qui & illum operatus est?

2.1.9. Ipsa etiam est humilitas, quæ inferiores à vili & servili subiectione liberat; est enim magnanimitatis species, quæ quanto magis se uni Deo subicit & hominibus propter

Deum, eò minus inordinatè timida est & abjecta. Falsa est autem alia quævis & simulata humilitas contra quam optimè Sapiens: Attende ne seductus in stultitiam humiliaris: No- Eccles. 13. li esse humilis in sapientia tua, ne humiliatus in stultitiam seducaris. Et Plaltes regius: Illic trepidaverunt timore ubi non erat timor; quoniam Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent, confusi sunt quoniam Deus sprevit eos.

Propone tibi iudicium extremum sicut Christus proposuit suo iudici, & illic discas timere & audere, atque inter utrumque temperatè loqui & agere. Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Ed cerrè incides, si nimis timeri appetis, aut si nimis timere pergis. Præmaturum cave casum, Nam qui timet hominem, citò corruet.

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de lavando corde potius quàm manibus. Matth. 15.

Tota est hebdomada decima quarta tertiæ partis per quinque consequentes Feras, in hoc declarando Evangelio. Quibus quæ ad mundiciem cordis, ibi valde commendatam, spectant, hæc possunt aliunde adjici.

Qui diligit cordis mundiciam, habebit amicum Regem.
In 1. parte, In festo S. Iohannis Evangelista, ex Prov. 22.

Nisi quod monet Sapiens, omni custodia servas cor tuum, non omnino servas.
In 1. parte, Feria 4. hebdomada 4. post Epiphaniam.

Hæc sponsæ Christi fides est, ut sicut neminem præter Christum velit diligere, ita velit à nullo diligi.
In 1. parte, Sabbato hebdom. 6. post Epiphaniam.

Qui nimis suos diligit, non satis diligit.
In 2. parte, Feria 3. hebdomada sancta.

Sæpe videtur esse Charitas, & est magis carnalitas.
In 2. parte, Feria 4. hebdomada 1. post Pascha.

Beati mundo corde.
In 3. parte, Sabbato hebdomada 3.

Quò minus Concupiscentiæ mortificabis, eò magis à Concupiscentia mortificaberis.
In 3. parte, Feria 4. hebdomada 5.

Major est voluptas, voluptatem nolle quam velle: voluptatem reliquisse quam capisse.
In 3. parte, in fine ubi de votis religiosi.

In 4. vero parte, vide hebdomadam 16. ubi de Infantia spiritali: Et Dominicam 17. ubi de Cupiditate refrananda, quæ proximè sequenti Feria possunt etiam competere.

FERIA QUINTA.

CHRISTVS TOTA NOCTE, APVD Pontificem, injuriis exponitur.

Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt, alii autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes; prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit. Matth. 26.

VERITAS PRACTICA.

Cæteræ pugnant Virtutes, sola vincit Perseverantia.

RATIO EST, quia sola illa vincit Virtus, cæteris pugnantibus, quæ sola finem imponit operi. Sed sola Perseverantia finem imponit operi. Ergo illa est, quæ sola vincit; ac proinde quantumcumque pugnent virtutes, nisi constanter perseveres usque ad finem, nihil obtinebis.

I. PUNCTUM.

STatim atque Christus se Filium Dei professus est, tum Princeps Sacerdotum, scidit vestimenta sua dicens; blasphemavit, quid adhuc egemus testibus; ecce nunc auditis blasphemiam? quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt, reus est mortis; Tunc expuerunt in faciem eius, & quæ supra memorantur, audent in eum.

Eccle. 8. Qualis libertas & audacia, sive seivorum absque ullo iussu, sive Pontificum ita jubentium aut dissimulantium contra Christum lesum, Sic modò etiam homines tam liberè in Deum peccant quàm si nullus esset Deus, aut nulla justitia. Etenim, ut ait Sapiens, quia non profertur citò contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala.

Et verò cum multa eaque gravissima per totam noctem patiatur Dominus, tum ad hæc quinque capita revocari possunt, Primum, judicatur reus & blasphemus; Secundum, ut talis conspuitur in faciem; Tertium, colaphis & alapis cæditur ab unoquoque; Quartum, velantur eius oculi, ut divinet à quo sit percussus; Quintum, ignominiosè propheta nuncupatur, & in opprobrium personæ, interro-

gant eum dicentes, Prophetiza quis est qui te percussit? & alia multa blasphemantes dicebant in eum ut refert sanctus Lucas. Luc. 11.

Quæ patientia Domini! qualis benignitas! quanta constantia, sic per totam noctem absque ullo verbo, aut vel modico impatiencia tædiive signo, ad eorum nutum inter tot contumelias perseverantem constitisse! Vere Ps. 101. longanimis, verè sapiens Dominus.

Hoc est scilicet, quod nos docere volebat contra inordinatum illum cordis & linguæ impetum, quo ex diuturnitate laborum & difficultate suscepti operis abripimur in impatientiam, & ex impatientia cedimus ignominiosè adversis, ac velut ignavi milites de statione dejecti abiicimus clypeum, & quidquid meriti patiendò cõsecuti eramus, totum uno momento, defectione nostra deperdimus. Vi. 2. Ios. 1. dere vosmetipsos, aiebat sanctus Ioannes, ne perdatis quæ operati estis, sed ut mercedem plenam accipiatis. Omnis qui credit & non permanet in doctrina Christi: Deum non habet. Cætera scilicet virtutes pugnant; sola verò vincit perseverantia; Nam sola illa vincit, quæ inchoato finem imponit operi, quod alioquin mancum & imperfectum esset, nisi ad finem usque perduceretur. Unde aptè Sapiens; In fine hominis Eccles. 11. denudatio operis illius: Quasi dicat, multa quidem homo inchoat, sed in fine ipse videbitur, qualia fuerint ejus opera, si videlicet ea perfecit & absolverit. Vel sic interpretare: Multa quidem operatur homo in vita, sed unum præcipuè habet opus, ad quod cætera omnia revocari debent, nempe salutem animæ; & perfectionem in sua vocatione, hoc autem opus nisi ex aliis, quæ illi deserviunt, deudari nõ potest, neque manifestari nisi in fine ipsius hominis, quia donec vivit, laborat quidem & pugnat, sed an laborem expleverit & in

III. PUNCTUM.

& in pugna vicerit, id ex solo fine agnoscitur: Et quantumcunque pugnent virtutes, sola illa vincet, quæ sola finem imponet. O quæ verè dictum: *Non queruntur in Christianis initia sed finis. Paulus malè cepit, sed bene finivit. Iude laudantur exordia, sed finis prodisione damnatur.*

II. PUNCTUM.

SED sola perseverantia finem imponit operi. Sic omnino aptè ad rem nostram sanctus Augustinus, aut qui vis alius author Serm. 3. ad fratres de Eremo. O Fratres mei, non tedeat incipere magna, nec fastidiat tenere inchoata, scientes, quod perseverantia informat meritum, colorat boni propositum, remunerat currentem, coronat pugnantem, ducit ad bravium, conducit cunctos ad portum. Hac est tunica talaris sancti Ioseph usque ad finem contingens. Hac est tunica sacerdotis usque ad pedes perveniens. Hac est cauda hostia, quam tenemur reddere Deo & offerre. Hac est calcaneum bona operationis, quod contra serpentis morsum debemus observare. Hac est virtus qua Deum ligat. Hac est qua omne bonum informat. Hac est perseverantia, qua laureantur martyres, qua virgines coronantur, qua Sacerdotes sublimantur & Confessores.

Sic coherenter sanctus Bernardus, prorsus absque perseverantia, nec qui pugnat, victoriam; nec palmam victor consequitur; vigor virium, virtutum consummatio est, nutritrix ad meritum, mediatrix ad primum. Soror est patientia, constantia filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habes, nec beneficium gratia, nec laudem fortitudo; Denique non qui caperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

SIC ergo cetera pugnant virtutes, sola vincit perseverantia.

Quod usdem pene verbis, eodemque planè sensu retulit Petrus Blelensis, pius & gravis author; *Omnes quidem virtutes currunt ad bravium, sed una perseverantia coronatur.*

Quo de argumento cum pleni sint facii Codices & sanctorum Patrum monumenta, tum illud ex eodem sermone S. Augustini supra relato, consideratione dignissimum: *Bo- Ser. 8. ad num inchoare & malo sine concludere, quid aliud Fr. in Ere- est quam monstruosas res conficere. Illa enim actio mo- quasi Chimera est, qua initium habet à ratione, sed finem à sensualitate cum enim sic agitur, humano capiti cervicem pictor equinam jungit, & super imponit instructuosas plumas.*

Audi ergo Sapientem: *Non ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam, sic enim omnis peccator probatur in duplici lingua. Esto firmus in via Domini, & in veritate sensus tui, & scientia: & prosequatur te verbum pacis & iustitiae.*

Quæ ut in praxim distinctius redigas, disce hæc à Christo tria. Primum, cum posset se liberare his omnibus malis, nulla usus potestate perinde tolerat omnia, sicut si nihil posset. Secundum, cum saltem queri aut deprecari posset tot injurias, ne verbum quidem profert. Tertium, cum eos punire posset, adeo non malum pro malo reddit, ut è contra non cesser eos movere ad cognitionem sui, unde dicuntur vel maxime velasse ejus facie, quod inde promicantes quoddam radios, quibus illustrabantur, adverterent; & forte postea quidam eorum conversi sunt & salvati. *Deus patientia & solatii, ait Apostolus, det vobis idipsū sapere in alterutro, secundum Iesum Christū. O verè Deus patientiæ! sed non solatii, nisi iis, qui eius patientiam pro viribus imitentur!*

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de Socru Petri febricitante, sanata à Christo Domino Luc. 4.

Febbris animi, animo longè periculosior, quàm febris corporis, corpori.

In 1 parte, FERIA 5. hebdomada 2. post Epiphaniam; Vbi Evangelica narratio refertur, & ex Divo Ambrosio, febris animi dicitur esse omnis

Cupiditas, de qua proinde quotquot sparsim habentur Veritates Practica, possent huc, cum de le- ltu tamen, transferri: Quæ hæc inter alias:

In levi quidem cupiditate, pars aliqua nostri cordis

cordis detrahitur: In gravi verò, totum cor Deo perit.

In 4. parte, Dominica 17.

Quod autem sanata mulier, continuò surgens, Christo ac Ejus discipulis ministraret, veram indicat Gratiudinem, quæ accepta dona in Donantis usum refert, quæ quàm rara sit, declarat hæc Veritas:

Verè paucorum est, vera Gratiudo.

In 3. parte, Dominica 13.

Denique quod à multis exirent Dæmonia, quæ Christum confiterentur, quorum tamen confessionem Christus nollet: veraretque de se loqui, nò alienum foret, quod de gravitate peccati doceretur ex illius Viri sancti sensu:

Qui maluit liber peccato, possideri à Dæmone, quàm levi cum peccato, liberare possessos.

In hac 2. parte, Sabbato hebdomada 3. post Pascha.

FERIA SEXTA. CHRISTVS NEGANTEM SE Petrum benignè respicit.

Conversus Dominus respexit Petrum, Luc. 22.

VERITAS PRACTICA.

Læsi amoris ira, quò est suavior, eò est potentior.

RATIO EST, Quia potentior illa est læsi amoris ira, qua ladentem verius læso subjicit. Sed quo est talis ira suavior, eo verius ladentem læso subjicit.

Ergo læsi amoris ira, quo est suavior, eo est potentior; ac proinde exemplo Christi exercenda.

I. PUNCTUM.

DE Petro jã dixerant Evangelistæ, quòd captum à Judæis Dominum, sequebatur à longe usque in atrium principis Sacerdotum, & modò sedebat cum ministris, ut videret finem, modò cum illis stantibus stabat & calefaciebat se. Tum verò dum interrogaretur Dominus à Pontifice, aut Judæis irideretur, ut visum est, accessit ad eum una ancilla dicens, Et tu cum Iesu Galilæus eras; At ille negavit coram omnibus, dicens, nescio quid dicit. Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla, & ait illi, qui erant ibi, & hic erat cum Iesu Nazareno; & iterum negavit cum juramento, quia non novi hominem. Et post pusillum, accesserunt qui stabant, & dixerunt Petro, Verè & tu ex illis es, nam & loquela tua te manifestum facit; Ad didit unus ex servis Pontificis, cognatus eius

cujus Petrus absceidit auriculam, nonne te vidi in horto cum illo? Iterum ergo Petrus negavit, & Mar. 14. tunc cepit detestari, anathematizare, & jurare, quia nescio hominem istum, quem dicitis; & continuo, adhuc illo loquente cantavit gallus. Et conversus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus Verbi Domini, sicut dixerat, quia Luc. 22. priusquam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras Petrus flevit amare.

Hic est miserandus Petri lapsus! hæc est deploranda humanæ infirmitatis miseria! hoc pavendum, ad omnem sæculorum memoriã, inconstantis exemplum animi, de quo supra est veritas, Qui se existimat stare, vident ne cadat. Est verò etiam luculentum poenitentis exemplum animi, si ve quòd statim, ut est aspectus discipulus à Domino, respicit: si ve quòd resipiscens flevit amare, seu denique quòd nunquam flendi peccati modum & terminum potuerit, nisi cum vita.

In primis autem est admiranda summa illa Benignitas & Clemètia, qua Iesus usq̃ est erga suum discipulum. Statim enim ut lapsus est, conversus ad eum Dominus tam suavi & potenti suo illum aspectu prorsus crexit, ut à Petri peccato ad Christi gratiam, solum illud intercesserit mota, quo Petrus peccavit.

O divinam læsi amoris iram! O suavissimã iræ divinæ potentiam! Non est dubium, quin Christi amor in Petrum valde læsus fuerit Petri peccato, nec alienum à Christo fuerit, cogitare

egitare quantum inde Christus moveri & irasci poterit: at vide etiam atque etiã, quàm suavis fuerit illa ira & quam potens in sua suavitate, simulque discite, si quando lædatis ab amico, sic suaviter esse irascendum, ut eum efficaciter tibi reconcilies. Sic enim universim loquendo; *Las amoris ira, quò est suavior, èd est potentior.* Quod certè mirum & ad praxim admodum utile.

Ut autem facilius intelligatur, tria præsupponenda sunt. Primũ híc agi de justa & temperata ira juxta illud Psalmi, *irascimini, & nolite peccare*: ut cum amans ab amato læsus irascitur. Secundum est, talem iram excitari & permitti ad remedium illato malo inferendum. Tertium denique, tunc potentiozem dici & esse iram, quando, citra culpam omnem, remedium efficacius afferetur. Quibus ita præsuppositis, jã facile est intelligi, quod dicitur in prima propositione, illam esse potentiozem læsi amoris iram, quæ lædentẽ læso subjiçiat: nam sic remedium læso amoris, si quod afferri potest, affertur: satis enim esse debet offenso, si se offendentem sibi subiectũ habeat: Neque enim ipsi Reges aut Duces, quotquot sibi magnanimitatis nomen fecerunt, aliud expetere, quam ut hostem sibi substratum cernerent: quia & ipse Leo generositatis Symbolũ, nihil aliud in præda quærere dicitur. Unde est illud Poëtæ, *Corpora magnanimo satis est prostrasse Leoni. Pugna suũ finem, cum jacet hostis, habet.* Quod itaque effertæ gentes, & quod ipsæ feræ admittunt, possent Christianus recusare.

II. PUNCTUM.

SED quò est talis ira suavior, èd verius lædentem læso subjiçit.

Sic apertè Sapiens in Proverbiis, & Apostolus in Epistola ad Romanos, postquam dixerunt cibandum inimicũ si esurierit, & sitienti potum ministrandum, statim addunt, *hoc enim faciens, prunas seu carbones ignis congeres super caput eius*; id est, interpretantur quidam; sic facies eius ardebit eo sanguine, quem pudor ad maxillas evocat, non secus atque si supra

caput carbones congestisses, qui faciẽ inflammaret. Quomodo enim ille non pudeat, qui videt tam liberalem atque ingenuum animũ à se fuisse offensus, à quo pro injuria, tale recepit beneficium? Vel ut exponunt alii, Carbones ignis congeruntur à persona læsa in caput lædentis, quando illa ignescebat quidem alioquo iræ motu, sed caritate & benevolentia sic temperavit iram, ut omnis asperitas in suavitatem versa sit, nec aliter se vindicavit quam novis beneficiis se lædentẽ cumulãdo; tunc enim is mirum in modum inflammatur ad amandum; nam ut ait sanctus Augustinus, *Nimis durus est animus, qui, si amorem nescit Deo impendere, nolit rependere.* Nonne emollesceres *zech. 4. ud.* ad tantam suavitatem, si tibi exhiberetur?

III. PUNCTUM.

LÆSI amoris ira sic ergo quò est suavior, èd est potentior: quod manifestè patuit in illa Christi Salvatoris ira, si fas est nã dicere, summam illam tristitiam, quam habuit de lapsu Petri, quæ quidẽ ira vel tristitia, quàm suavis fuit in eo respiciendo, tam potens fuit in eo revocãdo. *Fulgura in pluviam fecit.* Quo certè *Ps. 134.* facta, nihil ira, nihil tristitia poterat prætere oportunitus, cum sic læso amoris reparata magis fuerit injuria, & allatum malo remedium longè efficacius, quam si à lapsu peccati lapsus esset in infernum. Hi sunt videlicet funiculi Adam; hæc vincula Charitatis quibus nos ad se trahit! Nonne sic tecum sæpius egit, cum toties in se peccantem sua te bonitate attraxit miserans tui? *Transiens per te, vidi te conculari in sanguine tuo; & dixi tibi, cum esses in sanguine tuo, Virve, dixi inquam tibi, Virve. O bonitatem! o patientiam! sed quid ei propterea reddes, Vade & tu fac similiter.* Imi- *Luc. 16.* tare hoc exemplum. *Noli vinci à malo, sed vin-* *Rom. 12.* *ce in bono malum:* Nec putes à te nimis peti, cum id pagani fecerint. Sic sanctus Basilius de quodam refert ad confusionẽ nostrã: *Eu- S. Bas. hõ.* *clidi quidam mortem minatus est ac juravit se 11. de pa-* *um occisurum: at ille contra juravit se eum pla-* *caturum, ac ne animo in se hostili sit, esse elurum.*

PRO EADEM FERIA QUADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de Samaritana. Ioan. 4.

TOTA in hoc est hebdomada undecima tertix partis, ubi, quæ possent etiam aliunde repeti, suis indicantur locis.

Haynesvæ Pars 2.

S

SABBA-

S A B B A T O.
DE IVDA PRODITORE, MISER-
rime pereunte:
ET DE MIRO CHRISTI SILENTIO,
Circa huius interitum.

Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, poenitentia ductus, reculit triginta argenteos principibus sacerdotum, & senioribus, dicens: peccavi tradens sanguinem iustum. At illi dixerunt, quid ad nos, tu videris; & proiectis argenteis in templo, recessit, & abiens laqueo se suspendit. Matth. 27.

VERITAS PRACTICA.

Qui ruinā gaudet inimici, ruinam eius in se trahit.

RATIO EST, Quia gaudium de ruina inimici, species est cuiusdam vindictæ.

Sed hac vindicta trahit in se poenam & ruinam inimici.

Ergo qui ruina gaudet inimici, ruinam eius in se trahit; quod certe est præcavendum tum ratione culpæ, tum ratione poenæ simul junctæ.

I P U N C T U M.

TAMETSI miser hic Traditor in desperationem & laqueum se non projecit, nisi cum adductus ad Pilatum Dominus, petitus ad mortem aut etiam condemnatus fuit; tamen hic apertius de funesto ejus interitu videtur instituenda consideratio, ne sequentis hebdomadæ Mysteria, quæ alium habent ab ista finem, interrompantur, & quæ plerumque accidunt inordinatus cordis & linguæ motus in adversis contra inimicos, exemplo Christi Domini, discatur exprimendus.

Sic ergo est, ut refert Evangelista: Miserum proditorem conscientia patrarum facinoris diu ferre non potuit; poeniter eum sui, fateretur publicè crimen, sed desperat veniam; cumque se ab ipsa luce conspici confunderetur, tenebras querit; atque in ipsis tenebris cum nec à terra portari aut aërem spirare posset, laqueo se suspendit, & suspensus crepuit medius; & strisus sunt omnia viscera eius. Et notum factum est om-

nibus habitantibus Ierusalem, ut est in Actis Apostolorum.

En quò recidunt tandem inordinati appetitus! nam licet omnium peccatorum finis non sit ita funestus, est tamen isti plerumque affinis in eo, quod à minimis soleat incipere, sicque in pejus semper delabuntur, ut vix unquam emergant. *A scintilla una augetur ignis,* inquit Sapiens: & aptè Propheta, *Va qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plausuri, peccatum.*

Est verò quidam inordinatus animi motus, quo ex morte seu ruina inimicorum exultare solemus sive in vindictam, sive in integritatis aut juris nostri jactantiam, sive ob alium denique perversum finem, qui corrigendus est exemplo Christi Domini. Cum enim optimè sciret horrendam hunc sui proditoris interitum, jamque per civitatem divulgaretur, antequam cruci affixus esset, nonne commode poterat inde testimonium suæ innocentiae derivare? Nonne similem suis inimicis comminari mortem? Nonne multum inde sermonem haberet? Poterat sanè, sed silere maluit, ut nos in simili casu doceret, quod jam ante dixerat Sapiens: *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas: & in ruina eius ne exulet cor tuum, ne forte videat Dominus & displiceat, & auferat ab eo iram suam.* Quibus ex verbis hæc eruta Veritas valde est consideranda, *Quod quisquis ruinam gaudet inimici, ruinam eius in se trahit.*

Nam certum est hoc gaudium ordinariè nasci ex appetitu vindictæ. Possit forte aliquando in sanctis proficisci ex Zelo divinæ gloriæ,

17. 57.

gloriae, ut appareat ejus Justitia, & ut impii terreantur: *Larabitur justus, inquit Psaltes, cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris, & dicit homo, si utique est fructus justus, utique est Deus judicans eos in terra.* Sed quis sibi praelumat de tali Zelo? quis potius sibi de se non diffidat, & suspectum habeat tale gaudium? Lugendus esset & morte propria redimendus ille casus, & tu exultas? talis exultatio maligna est, vindictam sapit & odium cordis fovet, denique ad verlatur Charitati, *que non quarit qua sua sunt, nec gaudet super iniquitate.* Nam ut est alibi declaratum: GAUDERE super iniquitate, plerumque est iniquius, quam ipsam iniquitatem admittere.

1. Cor. 3.

Feria 5.
hebd. 3.
post Pascha.

II. PUNCTUM.

SED hac vindicta trahit in se poenam & ruinam inimici.

Nam Deus ordinat omnem vindictam sic ulciscitur, ut pari aut simili poena vindicantem se vindicet. Sic enim aperte Sapiens:

Eccles. 2. 8.

Qui vindicari vult, à Domino inveniet vindictam, & peccata illius servans servabit. Et cum toties sibi vindictam & ultionem reservandam testatur Deus in Scripturis, de omni vindicta modo ac specie id intelligendum est, ne forte putes te indemnem, quod tu ipse non ulciscaris; Nam gaudere de ruina & vindicta, gravius esse potest, quam si tu ipse vindictam sumeres. Potest enim Judex aut tu ipse per Judicem legitime queri, & poenas injuriae reperire, sed in poenis illatis non potest ipse Judex aut alius quispiam gaudere, quatenus poenae sunt & malum hominis qui condemnatur, unde patet istud gaudium ipsa vindicta pejus esse.

Quod si ex justitia reddita Judex gaudere potest, tali tamē gaudio jungendus esset motor de malo proximi, quod nunquam per se est amandum, nec de eo proinde exultandum. *Hec consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis:* ait ipse Deus supremus Judex; Cum vindictam in hostes parat, illam

dolentis vocem praemittit, *heu*, ut significet se dolere de vindicta sumenda; Tu vero non timebis exultare: aut exultans non timebis ejus vindictam! Tam certa tamen est, quam certe constat eum, qui se vindicat, sic à Domino vindicari. Te ipsum vindica de te ipso, qui quoties peccasti, telaxisti, *Nam qui faciunt Tob. 12. peccatum & iniquitatem, hostes sunt animae suae.*

III. PUNCTUM.

Quisquis igitur ruina gaudet inimici, ruinam eius in se trahit, id est, vindictam & perditionem: Nam si putas inimicum sic à Deo puniendum esse propter injuriam & offensam tibi illatam, cur non putabis te puniendum, cum non minus pecces in Deum & in proximum? In Deum quidem patet, quod assumas ejus imperium, & contra ac expressè veruit, ulcisci audeas, aut ultione illata gaudeas, quod æquè vetat ac aliud. Deinde verò in proximum peccas, quod ejus malis gaudeas, quod est directe contra charitatem & ab ea longissime charitate, quae reddit bonum pro malo. Unde conclude, quam sis æquè puniendus ac ille de cujus poena gaudes, ac proinde quam verè ejus ruinam in te convertas.

Sic se Iob puniendum fatebatur, *Si gavisus sum, inquit, ad ruinam eius qui me oderat, & exultavi quod invenisset eum malum, non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens animam eius.* Miserum te & miserandum omni modo, qui cum posses Deo, proximo, & tibi plurimum in hoc casu gratificari, Deum offendis, proximum laedis, & tibi valde nocet! *Qui sibi nequam est, cui alii bonus Eccles. 14. erit?* Adverte anima & cum ex his tribus vel unum sufficeret seorsim consideratum, ut te contineres; quanto magis cum tria simul concurrunt ad hunc finem? *Montes Galboe, nec ros, 2. Reg. 1. nec pluvia veniant super vos, quia ibi abjectus est clypeus forium, clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo!* Sic & pluribus, David de Inimici ruina non exultabat, sed dolebat.

PRO EADEM FERIA QVADRAGESIMALI.

Ad Evangelium, de Muliere adultera. Ioan. 17.

Videti debet in 4. parte, Feria 2. hebdomadae 19.

S e

DOML